



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Controversiarvm Omnivm Hvivs Ævi Lvthero-Calvinisticarvm Libri Tres

Coppenstein, Johann Andreas

Mogvntiæ, 1627

XXI. An peccatum originale sit Actuale?

urn:nbn:de:hbz:466:1-35233

substantialiter Adam fuisset post lapsum, quam ante fuerat. &c.

DICO AD I. Scriptura figuratè loquitur, cum de peccato verbis substantiam significantibus utitur; sic Cor est cogitatio cordis; *vetus homo* est vita *vetus*; *corpus peccati* est congeries peccatorum; &c.

AD II. Fac ista ita esse; non sunt tamen: nihilominus non sequitur, peccatum orig. aut concupiscentiam esse substantiam, seu fontem omnis peccati.

AD III. Kemnitio insolubile. At pugnans cum lege Actio est accidens, non substantia; & accidens priuatiuum, non positium, id est carentia rectitudinis. Et actio non est homo agens: quare nec peccatum est homo peccans.

AD IV. Imago Dei est natura animæ; & ea non est amissa per peccatum, aut transformata, ut Origenes errauit: teste *Epiph. her. 6. 4.* proinde nec peccatores gerunt naturam diaboli.

QVÆSTIO XXI.

*An peccatum Originale sit
Actuale?*

LVTHERANI multi aiunt, nilque distinguunt: ut *Lutherus in Assert. art. 3.* Impossibile ait, ut fomes sit absque actuali peccato. *Ibid Originale peccatum, ut omnia peccata, ita & incredulitas est.* Art. 2. Fomes, seu Concupiscentia est peccatum orig. In Gen. 2. *Pec. orig. est incredulitas, desperatio, &c.* Ideo fomes est verè peccatum actuale.

Melanch. in Locis anni 1522. *Pec. orig. natua propensio, & genialis impetus & energia, qua ad peccandum trahimur, propagata ab Adam &c. Scriptura non vocat hoc orig. hoc actuale: Est enim & orig. pec. plane actualis quadam cupiditas.*

Kemnitius ad Iess. 5. pag. 456. Similiter primum mentis in vtero motum esse rem malam; ut & deliberatus.

AVTOR. Pec. originale non est actuale: Nec infantes concepti vel nati vsum habent mentis seu bonum, seu malum; neq; vel primos motus. Quia S. Aug. l. 1. de pecc. merito. c. 35. ridet Pelagianos quosdam, id fabulantes actualia esse peccata: ut contrarium Scripturæ, Rom. 9. *Cum nondum nati fuissent, aut aliquid boni egissent, aut mali.* sc. Iacob & Esau. Deut. 1. *Fily, qui ignorant distantiam boni & mali.*

Sed variant ideo, dicuntq; p. o. actuale, i. actualis priuatio seu defectus, que debet adesse, sc. iustitiæ or. i. & actualis positio infirmitatis, & aliorum afflictuum, que deesse debent. Rectè hoc; malè istud, *Pec. orig. est actuale.*

QVÆSTIO XXII.

*An relicta ex pec. orig. Vulnera sint ipsius
Originale peccatum, ac damnum
nisi Deus ea non im-
putet?*

LVTHERANI, itemque CALVINIANI communiter affirmant. Lutherus id assert. art. 2. Melanch. in Locis. Concupiscentiam naturâ suâ esse reatum ait. Sic & Kemnitius. cæterique cõmuniter.

CALVINVS, Inst. 2. c. 1. §. 8. Sic definit pec. or. *Hereditaria natura nostra prauitas & corruptio, qua primum facit reos in a. Dei; tum etiam opera in nobis profert, qua Scriptura vocat opera carnis.*